



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

Disputatio IV. Vtrum Christi satisfactio habuerit alias condiciones rigorosæ
iustitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

148
Dubitatio
viii.

Quaestio de
iustitia
viii.

Molina
1 Thom.

Dubium
viii.

Quaestio
viii.

quantumcunque multiplicarentur opera satisfactoria. Item homo sine gratia habituali non potest elicere opus satisfactorium de condigno, ergo pro debito ipso carendi gratia, quod contraxit ex peccato, non posset vnquam condignè satisfacere ipse qui peccauit.

Dubitabis tertio, vtrum hæc iustitia vindictiua, sit appellanda propriè & simpliciter iustitia, & ratione illius dicere possimus, Deum simpliciter, & absolute habere iustitiam, & Christum satisfacisse de iustitia pro peccatis, quia satisfacit iustitiæ vindictiuaæ equaliter aequalitate condignitatis supra explicata.

Hæc est quaestio de nomine, & idè loquendum cum multis & dicendum, iustitiam vindictiuaem esse iustitiam veram, non strictissimè sed communiter acceptam, quare simpliciter, & absolute vocatur iustitia Apoc. 9. *Vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretricis magna, & vindicauit sanguinem seruatorum suorum de manibus eius, & alibi sæpè; deficit tamen a rigore iustitiæ strictissimè acceptæ, vt norauit benè Molina 1. part. quaest. 21. artic. 1. & colligitur clarè ex S. Thoma 2. 2. quaest. 80. artic. unico, vbi iustitiam vindictiuaem ponit inter partes iustitiæ, non subiectiuas, sed potestatiuas. Et ratio est, quia hæc iustitia non respicit ius alienum, quod reus habeat ad exigendam pœnam, sed potius debitum, quod habet eam patiendi pro peccato, & exigentiam quandam connaturalem, quam videtur habere culpa respectu pœnae.*

Videtur tamen imitari modum iustitiæ commutatiuae, quatenus seruat aequalitatem Arithmeticam inter culpam & pœnam, quod videtur esse proprium iustitiæ commutatiuae, non tamen est actus proprius iustitiæ commutatiuae, nisi per accidens in iudice humano, propter obligationem quam habet in ordine ad Rempublicam, cuius interest delicta non manere impunita, in quo sensu dixit S. Thomas illo articulo unico, esse actum iustitiæ commutatiuae punire delicta.

Possumus ergo simpliciter & absolute illam appellare iustitiam, & in Deo concedere propriam iustitiam vindictiuaem, & per consequens fateri Christum supposita acceptatione Dei satisfacisse pro peccatis ex rigore iustitiæ, vt fatetur Molina vbi supra, licet neget in Deo iustitiam aliquam commutatiuaem propriè dictam.

Vltimò dubitari posset, an licet Christus non extinxerit debitum de iustitia, quod homo haberet ex peccato; saltem extinxerit adæquatè per sua merita debitum inimicitia, seu ius illud morale, quod ex peccato debebat Deus ad rationabilem auerfionem ab homine, quamdiu non iustificenter placaretur. De hoc tamen redidit sermo ex professo infra *disputatione 5.* vbi videbimus, an fuerit necessaria incarnatio ad satisfaciendum pro culpa? Nunc videamus an defuerint etiam satisfactioni Christi alia conditiones quæ solent exigì ad rigorem iustitiæ.

Card. de Lugo de Incarnat.

DISPV TATIO IV.

Vtrum Christi satisfactio habuerit alias condiciones rigorosæ iustitiæ.

SECTIO I. Vtrum satisfactio Christi fuerit ad alterum?

SECTIO II. Vtrum Christi satisfactio defecerit ratione secundæ, & tertiæ conditionis?

SECTIO III. Vtrum Christi satisfactio habuerit tres alias condiciones prout exiguntur ad iustitiam.



Hæc disputatio videbitur alieni superflua; cum enim dixerimus, nec Dei ad Christum, nec Christi ad Deum fuisse debitum iustitiæ, parum videtur referre, an ex alio capite defecerit etiam illa satisfactio à legibus perfectæ iustitiæ; ceterum quia de his conditionibus, & de earum exigentia ad iustitiam, latè agitur in præfenti à Theologis, necesse erit eas breuiter percurrere, ne nostri Theologi ieiuni sint in aliorum gymnasiis, vbi tota quaestio ad istas conditiones reducitur. Sunt autem sex condiciones, quas communiter ad satisfactionem iustitiæ exigunt, & de quibus dubitatur, an inueniantur in Christi satisfactioe. Prima, quòd satisfactio sit ad alterum. Secunda, quòd sit ab ipso debitore personaliter. Tertia, quòd non possit non acceptari. Quarta, quòd non fiat ex bonis creditoris. Quinta, quòd fiat ex aliis indebitis. Sexta, quòd non sit ex acceptis ab ipso creditore. De quibus sigillatim agendum erit.

Conditiones satisfactiõis sex.

SECTIO I.

Vtrum satisfactio Christi fuerit ad alterum?

Aristot. 5. *Ethic. cap. 1. & 2.* videtur exigere hanc conditionem ad perfectam iustitiam quòd sit vnus ad alterum; nam eiusdem ad se ipsum non est iustitia, vel iniustitia; ex quo videtur fieri, satisfactionem Christi etiam ex hoc capite deficere à rigore iustitiæ, cum Christus non satisfacere alteri, sed sibi, nempe Deo, cui per peccatum fuerat illata iniuria.

Iustitia quid ex Aristotele.

Aliqui, vt defendant hanc conditionem in satisfactioe Christi, respondent Christum satisfacisse Patri aeterno, iuxta illud Ioann. epistol. 1. cap. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, & per consequens satisfacisse alteri etiam supposito.*

Doctrina aliorum circa satisfactioem.

Hæc tamen doctrina meritò reiicitur ab omnibus, quia satisfactio fieri debuit, cui illata fuerat iniuria; hæc autem non soli Patri, sed tribus personis fuerat illata, quæ omnes participant idem numero dominium, & eius, eandem voluntatem & potestatem; ergo non erat cur magis satisfaceret Patri, quàm aliis personis. Imò nec posset, quia cum voluntas sit communis, non

Reiicitur ab omnibus.

F posset

posset vna persona condonare, vel retinere peccatum, aliis non condonantibus, vel retinentibus. Præterea si filio non satisfactum fuit plene; ergo condonatio peccati, prout à filio, fuit grata; ergo iam ex hoc capite satisfactio Christi non fuit vndique plena, & rigorosa. Nec obstat, aliquando tribui Patri remissionem delictorum, & acceptationem satisfactionis Christi, quia hoc fit ex quadam appropriatione, sicut eidem tribuitur potentia, & dominium, ad quod etiam videtur pertinere remissio debitorum. Addunt alij, sæpè Christum nomine Patris intelligere totam Trinitatem, cuius filius erat Christus vt homo, & hunc Patrem orabat, huic gratias agebat, &c. De hoc autem dicemus latius infra *disp.* 31. &c. agentes de filiatione Christi.

2
Pronunciatiū
auctoritatis
primi.

Dico ergo primò: ad satisfactionem iustitiæ non requiritur distinctio suppositorum, sed sufficit distinctio naturarum, atque idè ex hoc capite non deficeret Christi satisfactio à perfecta iustitia.

Vasquez.

Hæc est communis etiam apud eos, qui negant Christum satisfecisse de iustitia, vt videre est apud Vasquez in præfenti, *disp.* 8. *cap.* 7. Probatur breuiter, quia non magis requiritur distinctio ad iustitiam, quàm ad obedientiam, ad cultum, & ad satisfactionem condignam, quæ non fit ex iustitia: sed nemo dubitauit, Christum, vt hominem, potuisse obedire Deo, colere, orare, satisfacere item pro nostris peccatis, & si per impossibile peccasset, posset etiam pro suis; ergo posset etiam exercere actum iustitiæ, quæ non est magis ad alterum, quàm hæc virtutes. Item si in eodem supposito diuinitus vniuerentur natura Petri, & Pauli, posset Petrus contradicere Paulo, posset detrahere, lædere, & occidere; ergo irrogare iniuriam, & per consequens satisfacere, quia distinctio sufficiens ad iniuriam sufficit etiam ad satisfactionem.

3

Ratio à priori est, quia singulæ naturæ habent peculiarem voluntatem, libertatem, dominium, & ius distinctum, in quibus fundatur iustitia, & iniustitia; habetur enim quoddam sufficit, vt altera natura sit rationabiliter inuita ex operatione alterius, & per consequens, vt altera debeat non operari contra ius alterius. Per accidens autem est, quoddam sit idem principium quod vtriusque operationis; hoc enim non significat aliquem influxum subsistentiæ in operationem, sed solum denominationem, quæ tribuitur supposito, eo quoddam sit vltimus terminus naturæ.

Adde, etiamsi subsistentia haberet (vt aliqui volunt) influxum immediatum in operationem, non obstat nostræ conclusioni, quia ille influxus formaliter non esset liber, aut moralis, sed cuiusdam principij physici, & necessarii, sicut de facto est concursus, quem præstat habitus acquisitus, vel infusus cum voluntate; non enim operatur habitus liberè, vel moraliter, sed sola voluntas. Quare sicut non impediretur actus iustitiæ inter duos homines exerceri ex eo quoddam vterque homo vteretur eodem habitu iustitiæ infuso ad suos actus; ita nec impediretur ex eo quoddam vtraque natura iurare concursu eiusdem suppositi, quia adhuc maneret quælibet distincta in ratione moralis, & libera.

Petes, si eadem anima rationalis haberet duas voluntates, an sufficeret hæc distinctio voluntatis ad iustitiam vnus erga alium? Videtur enim sufficere, quia vna voluntas posset diffinitur alteri; ergo repugnare, & esse inuita ex operatione alterius.

4
Dubium

Respondeo negatiuè, quia si voluntas ponatur distincta à substantia animæ, adhuc debet concedi influxus immediatus ipsius animæ in operationes, vt probaui in libris *de Anima*, vbi dixi, operationem illam tunc non esse liberam formaliter, prout à voluntate, sed prout ab anima, quæ sola determinaret cætera principia ad operandum; voluntas verò concurreret cum anima sicut modò concurret habitus infusus non liberè, sed determinatus per concursum ipsius animæ. Quare sicut duplex habitus iustitiæ in eadem voluntate non sufficeret ad iustitiam vnus erga alium; sic nec duplex voluntas in eadem anima, propter eandem rationem; nec enim vna posset resistere alteri propter subordinationem ad eandem animam liberè operantem per vtramque voluntatem.

Remouetur.

Obiicies primò; principium morale satisfaciendi in Christo non erat sola humanitas, sed subsistentia Verbi, à qua opera Christi accipiunt valorem, & dignitatem necessariam; ergo principium morale illius meriti non distinguitur adæquatè ab ipso Deo, cui fit satisfactio; ergo non est ad alterum, prout requiritur ad iustitiam.

5
Obiectio prima.

Respondeo, subsistentiam Verbi non pertinere ad principium morale illarum operationum in ratione liberi, sed in alio genere principij formalis dignificantis moraliter; quod non est principium efficiens. Quare totum principium morale efficiens illius operationis manet distinctum ab eo, cui satisficit; quoddam autem valor operis proveniat formaliter à dignitate Dei, cui satisficit, non refert ad præsentem difficultatem, in qua solum quærimus de distinctione requisitæ ad iustitiam inter eum, qui efficienter satisficit, & eum, cui satisficit. An verò illud obicit ex alio capite, infra videbitur *sect.* 3.

Dissoluitur.

Secundò obiicies, Christum satisfecit pro aliquibus peccatis factis contra ipsum Christum vt hominem, v.g. pro alapa, pro contumeliis, pro verberibus, &c. ergo pro his non potuit satisfacere de iustitia ex defectu huius conditionis, quia in his satisfeceret sibi ipsi secundum eandem naturam.

6
Obiectio secundæ.

Respondeo facillè, Christum non satisfecisse omnibus, contra quos fuerunt peccata, sed soli Deo; non enim satisfecit Ioanni Baptistæ pro morte illata ab Herode, sed satisfecit Deo pro offensa Deo facta in illo homicidio. Sic etiam non satisfecit suæ humanitati pro iniuriis sibi factis, sed soli Deo pro peccatis illis.

Expediatur.

Dico secundò, si per hanc conditionem non intelligatur distinctio personarum, sed dominiorum non subordinatorum, hæc quidem necessaria est ad iustitiam, & ex eius defectu non potuit Christus obligare Deum ex iustitia, vt vidimus *sectione prima dissertationis præcedentis*; debet enim iustitia esse ad alterum formaliter in dominio. Quare patris erga filium, & domini

7
Pronunciatiū
secundum.

erga

erga seruum communiter non est iustitia, quia nec filius habet dominium, quod non sit patris, nec seruus, quod non sit domini. Ceterum in hoc sensu hæc conditio coincidit cum ratione posita disputatione precedenti ad negandam in Deo obligationem iustitiæ, propter supremum dominium quod habet in creaturas.

SECTIO II.

Vtrum Christi satisfactio defecerit ratione secundæ, & tertiæ conditionis.

8 **S**ecunda conditio erat, quod satisfactio fiat ab ipso debitore personaliter, & non per alium; quæ etiam videtur deficere in Christi satisfactio, non enim satisfacit ipse peccator, sed alius pro eo; quare potuisset Deus retinere ius aduersus peccatorem, donec ipse satisfaceret.

*Ex requisi-
tis et iustiti-
is, nonne
surg.*

P. Suarez in præsentî disp. 4. secl. 6. in princip. dicit, hanc conditionem non requiri ad satisfactionem ex iustitia, quia licet attendendo ad iustitiam punitiuam, possit iudex iuste exigere ab ipso iniuriante, vt ipse veniam petat, vel aliam satisfactionem personaliter exhibeat; ceterum attendendo præcisè ad iustitiam commutatiuam, non requiritur hæc personalis satisfactio, quia iustitia commutatiua solum attendit æqualitatem inter id, quod aufertur, & quod redditur; quare cum honor ablati per iniuriam possit æquiualeat, & abundanter reddi alio modo, non est cur alligetur iustitia ad illum modum personalis restitutionis. Quod probari potest ex aliis materiis restitutioni obnoxii, v. g. debet Petrus centum Ioanni; soluit Paulus hæc centum pro Petro; nemo dubitat, quin satisfactum sit de rigore iustitiæ. Item in materia famæ, si detractor sciat, iam famam iniuriam passi esse ex alterius longè dignioris testimonio restitutam, & in meliorem statum deductam, ad nihil tenetur, licet ipse personaliter non retractauerit, quod iniuste dixerat. ergo similiter, si honor ablati aliunde restituatur, liberabitur primus debitor à personali satisfactio.

9 **E**go fateor, satisfactionem strictam iustitiæ, de qua nunc agimus, solum tendere ad ponendam æqualitatem; nam licet aliqui recentiores velint satisfactionem differre à restitutione, quod restitutio solum reddat, quod ablatum est; satisfactio verò non solum reddat honorem ablatum, sed insuper aliquid pro iniuria; ceterum hoc non videtur consequenter dici de satisfactioe stricta, hoc enim est actus iustitiæ; iustitia autem solum intendit ius alienum seruare, non lædendo illud; si verò læsum fuerit, restituere in priorem statum; quare sicut qui lædit in pecuniis, vel fama, solum debet ex iustitia ponere famam, vel pecuniam alterius in priori statu; sic etiam, qui lædit in honore, solum debet ex iustitia facere, vt honor proximi non patiat iacturam ex sua contumelia; nec debet ex iustitia reddere plusquam abstulit, licet forsitan ad hoc vt læsus sufficienter placetur, & non maneat rationaliter auersus, necesse sit prudenti arbitrio addere obsequium ad satisfaciendum pro of-

Card. de Lugo de Incarnat.

fensa; hæc tamen satisfactio non est actus iustitiæ, sed alterius virtutis, ad quam pertinet neminem habere rationabiliter auersum, seu tollere rationabilem causam offensionis, & auersionis: sicut de factò Petrus, qui mihi furto sustulit librum, ex iustitia solum debet reddere librum, & tamen adhuc reddito libro, habeo ego rationabilem causam auersionis à Petro pro offensa, pro qua necesse est me rationabiliter ab illo placari non ex iustitia, sed ex illa alia virtute innominata. In quo sensu potest accipi Anselmus libro primo, cur Deus homo, capite 11. vbi videtur exigere plus quam ablatum est, vel etiam potest loqui de æqualitate physica, non de morali, quia maior honor physice exigitur, vt æquiualeat moraliter æstimationi ablationis. Si ergo loquamur de satisfactioe præcisè prout est actus iustitiæ, solum tendit ad reddendum æquale, nec in hoc differt à restitutione, imò est quadam species restitutionis, si restitutio accipiatur in communi, vt docet Vasquez in præsentî, disputat. 8. num. 47. quia tamen restitutio accipi solet specialiter prout opponitur contra satisfactionem; tunc restitutio applicatur ad reparationem pecuniæ, famæ, &c. satisfactio verò solum applicatur ad restitutionem honoris ablati.

Pro quo aduerte, famam, & honorem differre, quod fama sit existimatio, & opinio alienæ probitatis, & honestatis, &c. honor verò est testificatio, quadam nostræ opinionis de aliena excellentia, vt post alios tradit Lessius lib. 2. de iustitia cap. 11. dub. 1. quare detractio lædit famam, quam debet detractor ex iustitia resarcire procurando, vt in aliis maneat opinio alienæ excellentiæ in priori statu. Quod si ex mea detractioe audientes non mutauerint suam opinionem, quia non crediderunt, vel postea obliuati sunt, ad nihil profusus tenebor ex iustitia; contumelia verò, & conuitium lædunt honorem, tollunt enim testificationem externam meæ opinionis de aliena excellentia, quam ex iustitia tenebar exhibere, & ad quam habebat ius, qui læsus est; quare, etiamsi nemo adfuerit, vel etiam præsentibus non mutauerint opinionem alienæ excellentiæ, tenebor ex iustitia satisfacere, id est, reddere honorem moraliter æquiualem honori ablato, & hæc dicitur propriè satisfactio; quæ variis modis fieri potest, vel venia petitione, vel honorifica salutatione, vel aliis modis, de quibus Lessius dicto cap. 11. dub. vlt.

Hoc ergo supposito, fateor, satisfactionem iustitiæ solum tendere ad ponendam æqualitatem honoris ablati, & redditi; ceterum nego, cessare hanc obligationem, si alius eum honorem præstet, debet enim attento rigore iustitiæ, satisfactio fieri ab eo ipso, qui intulit contumeliam, nisi fortè ipse, qui læsus est, acceptare velit illum modum satisfactionis.

Ratio autem sumitur ex dictis, quia restitutio in materia pecuniæ, solum tendit, vt aliena pecunia sit in priori statu, quod æquè fit, si alius pro me soluat meum debitum; item restitutio famæ tendit ad resarciendam famam læsam, ita vt ex mea detractioe nemo vilius opinetur de proximo, quam antè, quod etiam æquè fit, licet alius me ignorante

F 2 auditio

Anselm.

Vasquez.

IO
Fama & honor in quo differant.
Lessius.

II

auditores conuicerit de falsitate meorum, verborum; ideo in vtroque casu excusor ab alia restitutione; id enim quod abstulit, potest per alium reparari: at verò in ablatione honoris hoc non potest fieri; id enim quod abstuli non est restitucio opinionis alienae de excellentia Petri, v. g. sed restitucio meae opinionis de illius excellentia: hanc autem restitucionem nemo potest ponere, nisi ergo ipse, vel alius ex meo mandato (quod idem est,) & in hoc sensu dicunt aliqui, sufficere satisfactionem per alium, quos sequitur Nauarra lib. 2. de restitu. cap. 4. 1. part. dub. 6. Ceterum me ignorante, vel nolente, nemo potest reddere, quod ergo abstuli; nam licet possit alius reddere Petro maiorem honorem, quam ego abstuli, non tamen eundem: Petrus verò habet ius ad hunc numero honorem, scilicet ad restitucionem meae opinionis, quam iniuste abstuli. Quare, si res attentè consideretur, par est ratio quoad hoc in fama, pecunia, & honore; nam si ego apud duos, vel tres Petrus infamaui, non satisfacio ex iustitia, licet Petrus summis laudibus apud alios innumeros conuendem, sed debeo ex iustitia apud eosdem, si possum, eius famam reparare, quia Petrus habet ius ad opinionem suae probitatis apud illos, quam ego iniuste abstuli, & ideo illam eandem numero opinionem apud eosdem homines, & in eadem materia debeo restituere. Item si abstuli librum, non satisfacio reddendo praeium, vel alios plures, & pretiosiores libros, sed debeo eundem numero librum reddere, si possum; ergo similiter non satisficit debito contracto ex laesione honoris, si reddatur alius maior honor, sed debet idem numero reddi; hic autem cum sit restitucio meae opinionis de proximi excellentia, non potest ab alio, quam à me ipso reddi per æquiualem moraliter submissionem, quae moraliter æquiualeat restitucioni contrariae, ita vt moraliter ponam tantam reuerentiam, quanta fuit irreuerentia in ratione irreuerentiae: quanta autem hac futura sit, relinquatur arbitrio prudentum.

Igitur ad nostrum propositum, satisfactio Christi non habuit hanc conditionem perfecte iustitiae, quia Deus habet ius ad honorem exhibendum ab ipso peccatore, si haec esset materia iustitiae; & licet honor exhibitus à Christo esset maior, quam quem peccator debebat, non tamen exstingueret debitum nisi Deus illum modum satisfactionis per alium acceptaret.

Secundò respondet P. Suarez *vbi supra*, satisfactionem Christi, licet non fuerit ab eodem indiuiduo, fuisse tamen ab eadem natura humana, quae peccauit, quod videtur sufficere, praesertim quod sicut Adam peccauit, vt caput omnium, ita Christus satisfecit, vt caput omnium, & per consequens in ipso videmur omnes satisfecisse.

Sed contra, quia in primis conuenientia specifica eius, qui peccauit, & eius qui satisfacit parum videtur referre; cum debitum sit personale illius, qui deliquit. Deinde licet Christus fuerit caput omnium hominum in ordine ad influendum in ipsos, & merendum illis; non fuit tamen caput, sicut Adamus per

alligationem nostrarum voluntatum in voluntate Christi, ita vt operatio Christi censetur operatio nostra. Quare licet peccante Adamo, nos omnes debitores sumus, & verè peccatores: non tamen sumus bene operantes, aut satisfacientes, Christo Domino satisfaciente. Alioquin non diceretur remitti nobis gratis peccatum, aut gratis conferri donum iustificationis; quia sicut ex peccato Adami, quod verè sit nostrum, dicimur digni poena aeterna, & haec non confertur nobis gratis, sed ex merito; ita ex merito Christi operantis per modum capitis, diceremur nos digni praemio, & iustitia, & non diceremur saluari gratis, sed ex merito, quae omnia sunt absurda; ergo operatio Christi nullo modo fuit nostra, sed pro nobis.

Praeterea, etiam si Christi opera per aliquam alligationem nostrarum voluntatum in Christo censentur nostra, sicut operatio Adae censetur nostra, adhuc non satisfaceremus per illa opera; quia operatio Christi vt sit satisfactoria debet considerari, vt dignificata à persona Christi, & ab eius sanctitate; vt sit autem non possunt illa opera esse moraliter nostra; quia licet operatio ipsa libera secundum se possit moraliter esse mea, & ab operatione aliena possim denominari ego operans, quatenus illa operatio est moraliter mea; ceterum iustitia, & gratia aliena non potest me denominare gratum, vel iustum formaliter; nec illa iustitia ceteri moraliter mea, vt suppono ex materia de iustificatione; alioquin posset homo verè iustificari sine forma physice inhærente; ergo operatio Christi ratione satisfactoriae non potest esse moraliter mea, quia vt sic includit valorem proueniens à gratia vniuersalis; quare sicut ego non possum denominari sanctus, vel dignus, & communicans dignitatem meis operibus propter sanctitatem Christi formaliter; sic nec possum denominari satisfaciens condignè, quod idem est, eo quod Christus condignè satisfecerit; & per consequens illa satisfactio non fuit exhibitae ab ipso debitore, quod requirebatur ad satisfactionem de rigore iustitiae.

Idem alij, quibus consentit Lorca in praesenti, *disputat. 8. num. 22.* dicunt, licet in humanis satisfactio vnius pro alio non sit de rigore iustitiae, sed possit non acceptari, donec satisfiat ab ipso debitore; ceterum in satisfactioe Christi hoc non habere locum, quae adeo fuit excellens, & superans debitum, vt superauerit etiam hunc defectum & propter excessum retributionis non potuerit non acceptari, & exstinguere debitum, quod idem docet *num. 25.* de meritis Christi, non potuisse non premiari à Deo eo genere praemij, pro quo fuissent oblata etiam sine vilo pacto & promissione Dei, quia licet Deus fuerit liber ad Incarnationem, non tamen ad hoc, quod posita Incarnatione premiaret, vel non premiaret opera Christi.

Hic modus dicendi tangit tertiam conditionem supra positam, quod satisfactio ex rigore iustitiae non possit non acceptari, ex cuius defectu videtur etiam Christi satisfactio deficere à rigore iustitiae, cuius conditionis sensus non est,

Nauarr.

12.

Responsum
Suarez.

13

14

Aliorum sensus,
Lorca.

17

15

18

est, quod creditor teneatur ex iustitia acceptare pretium satisfactionem oblatam; potest enim si velit eam omittere; sed sensus est satisfactionem si sit iuxta rigorem iustitiae, eo ipso extinguere ius creditoris, etiam iniuncti, & nolentis amittere suum ius.

P. Suarez negat, hanc conditionem requiri ad satisfactionem rigorosam iustitiae, sed solum, quod detur pretium aequivalens; sicut dicitur redimi captivum ex rigore iustitiae ab eo qui dedit pretium aequivalens, licet dominus potuisset pretium non acceptare, sed captivum retinere.

Hanc sententiam & solutionem impugnatare P. Vazquez in praesenti *disp. 9. cap. 2. §. 3.* & breviter reicitur, quia satisfactio ex iustitia est, quae adequat omnem obligationem, & debitum iustitiae; ergo debet ponere totam aequalitatem, quam iustitia procurat, & respicit; alioquin non ponit totum, quod iustitia exigit: si autem ponit totum illud; ergo ea posita non potest non acceptari; quia posita aequalitate non manet ius in creditore; cum omne ius oriatur ex aliqua inaequalitate; ergo si manet ius, non fuit posita tota aequalitas saltem quoad circumstantias: fateor enim positum fuisse aequale quoad substantiam, quia tamen non solum debetur substantia, sed etiam circumstantia personae; ideo dum non satisfactio eadem persona, non ponitur aequalitas quoad omnia, nec tollitur inaequalitas.

16 Exemplum autem captivi redempti non est ad rem, quia qui redimit captivum soluendo pretium, solvit quantum domino debetur ex iustitia, solum enim debetur illi pretium ex contractu & conventionione inter ipsum & redemptorem; ideo per illam solutionem satisfactio toti debito ex iustitia; ante illum vero contractum nihil debebat ex iustitia: nullum ergo est iustitiae debitum, cui non satisfiat per solutionem illius pretij. At vero pro iniuria non solum debetur ex iustitia satisfactio utcumque, sed exhibenda ab ipso offensore; ergo dum haec non exhibetur, non satisfactio adequatae omni debito, ad quod obligat iustitia, sicut nec qui abstulit librum, satisfactio adequatae reddendo pretium aequivalens, quia licet reddat quantum valet liber, non satisfactio iustitiae obliganti ad reddendum ipsum librum in specie, si extat.

17 Secundo ergo alij respondent, non potuisse non acceptari a Deo Christi satisfactionem, quia voluntas Christi non potuit discordare a voluntate Dei; quare eo ipso quod Christus sua opera offerebat pro peccatis, & volebat acceptari, non poterat non velle hoc ipsum Deus.

Sed contra primo, quia hoc non tam arguit Deum debuisse acceptare Christi satisfactionem, quam Christum non potuisse eam Deo offerre, nisi Deo volenti eam acceptare; quod est valde diversum. nam hoc non tam est, Deum conformari voluntati Christi, quam Christum conformari voluntati divinae.

Deinde ponamus, de potentia absoluta Christum ignorasse voluntatem Dei non acceptandi eius satisfactionem pro peccatis, & tamen offerentem illam; ecce posset illam Deus non acceptare adhuc oblatam a Christo.

18 Ideo alij, quos supra commemoravi, dicunt tertio, tantum esse valorem meriti, & satisfactio-
Card. de Lugo de Incarnat.

tionis Christi, ut non possit Deus eam oblatam non acceptare, etiam pro alieno debito, pro quo videtur esse Anselmus *lib. 2. cur Deus homo c. 19.* Anselm.
Ceterum cuiuscunque fuerit ea opinio, non est admittenda, & reicitur a Suarez *disp. 4. sect. 5.* Suarez.
§. sed licet verum sit, & Vazquez *vbi supra t. 2.* Vazquez.
& merito, quia est contra communem Theologorum, quam tradunt Vega *lib. 7. in Trident. c. 9.* Vega.
Ioan. Medina *in praesenti pag. 17.* & probari potest ex Scriptura, vbi legimus, Christum gratias egisse Patri pro impetratione eorum, quae postulabat Ioan. 11. *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me,* ergo Pater etiam ex suppositione orationis Christi poterat non exaudire eum; alioquin non deberentur gratiae, si aliter facere non potuisset. Ratio autem a priori est, quia licet id, quod Christus obtulit pro debito nostro, esset non solum aequale, sed superabundans; Deus tamen habebat ius ad nostram satisfactionem in specie: quare sicut dominus libri potest non acceptare a fure offerente pro libro etiam infinitam pecuniam, sed exigere suum librum; ita Deus, licet Christus offerret infinitam satisfactionem; & sicut posset Deus non punire peccatum, etiam si peccatum haberet infinitam malitiam, ut plures opinantur; ita licet merita Christi haberent valorem infinitum, posset Deus ea non praemiare sine nota vlla ingratitude, quia suppetere Deo alia plura honesta motiva negandi illud praemium; sicut haberet etiam motiva honesta ad non puniendum peccata si vellet.

Anselmus autem vel intelligendus est de necessitate ex suppositione promissionis Dei, vel credendum, quod loquatur per exaggerationem.

Explicatur Anselmus.

Manet ergo ex his omnibus, Christi satisfactio ex hoc etiam capite defecisse a rigore perfectae iustitiae, quia non fuit exhibita a persona debitoris, & quia potuit non acceptari a Deo; fateor tamen, si aliud non obstat, non sequi ex defectu harum conditionum quod Christi satisfactio non fuerit ex rigore iustitiae saltem supposita acceptance Dei; haec enim posita iam datur totum quod debetur, & non potest non acceptari.

Concluditur proposita quaestio.

SECTIO III.

Verum Christi satisfactio habuerit tres alias condiciones, prout exiguntur ad iustitiam.

19 Quarta conditio erat, quod satisfactio non fiat ex bonis creditoris, cuius conditionis sensus non est, quod fiat satisfactio ex rebus, quae non sint sub dominio etiam morali creditoris; hoc enim falsum esset. nam ille, cui per furtum ablatum est liber, adhuc manet moraliter dominus libri; & tamen optime satisfactio reddito illi libro quoad potestatem physicam; ceterum si Petro debeatur centum, & dentur ei totidem centum; quae antea iam erant in dominio morali, & physico ipsius Petri, non satisfactio priori debito, quia nihil prorsus accipit pro illo, cum illa centum iam plenè haberet. In hoc ergo sensu requiritur, satisfactioem non fieri ex bonis ipsius creditoris, & ex defectu huius conditionis videtur etiam satisfactio Christi non esse ex rigore

19 Conditio satisfactiois quarta.

rigore iustitiæ, quia ille honor, qui Deo prouenit ex operibus Christi, iam erat ipsius Dei, quoad dominium morale, & physicum, cum esset in Dei potestate illum honorem sibi quoties vellet comparare, de qua conditione videatur Vazquez *disp. 8. cap. 4. & 5.*

Vazquez.

20
Solutio aliorum.

Respondent aliqui, licet opera Christi secundum se essent sub dominio Dei, non tamen prout satisfactoria, quia prout sic includunt valorem, & dignitatem prouenientem à personalitate Verbi, quæ personalitas non erat sub dominio Dei.

Impugnatur, & rejicitur. Suarez. Vazquez.

Hanc solutionem latè impugnat Suarez *disp. 4. sect. 6.* & Vazquez *vbi supra*, & breuiter reijcitur primò, quia modò ille valor includat personalitatem Verbi, modò distinguatur adæquatè ab illa, non refert ad propositum; si enim dicas, illum valorem esse adæquatè aliquid creatum; ergo erat adæquatè sub dominio Dei; si verò dicas, esse saltem inadæquatè aliquid increatum, ergo secundum eam partem non poterat dari Deo; ergo nec satisfieri cum illo, quia satisfacere, est dare aliquid creditori ex debito iustitiæ: valor autem secundum illam partem, qua includit substantiam Verbi, non poterat dari Deo, cum non esset etiam sub dominio Christi; ergo vt sic non satisfit ex bonis, quæ non sint creditoris.

Satisfacere quid.

Præterea personalitas Verbi, licet non sit sub dominio Dei, vt aliquid inferius, est tamen verè aliquid Dei per identitatem, qui est excellentior modus possessionis. ergo sicut dominium proprium creditoris obstat satisfactioni, quia illa res erat iam sua, magis obstat possessio per identitatem, quia res identificata est multò magis sua.

21
Alia solutio Suarez.

Idè ipse Suarez secundò respondet cum aliis, illam conditionem non impedire rigorem satisfactionis, licet impediatur rigorem restitutionis; quia restitutio reparat damnum illatum creditori in rebus suis: satisfactio autem versatur in actibus ad iniuriæ compensationem, ad quam non exigitur translatio dominij, sed exhibitio reuerentiæ æquiualentis pro iniuria priori, licet ad restitutionem requiratur dare aliquid creditori, quod non esset antè in eius dominio.

Impugnatur ex supra dictis.

Hæc solutio impugnatur facillè ex supradictis. nam satisfactio, quæ est actus iustitiæ, est vera restitutio, & solùm differt ab aliis speciebus restitutionis, quòd per illas reddatur pecunia, vel fama ablata, per hanc verò restituitur honor. Quare sicut ad restitutionem pecuniæ exigitur, pecuniam non esse antea in pleno dominio creditoris, sic ad satisfactionem honoris exigitur, honorem, qui redditur, non esse ante in pleno dominio creditoris. Honor autem, qui per Christi opera Deo aduenit, erat omninò sub dominio Dei; ergo Christus reddendo illum honorem non satisfacit de iustitia, quia non ponit in Dei potestate pro honore ablato aliquem honorem, qui iam non esset in ipsius Dei potestate. Videatur Vazquez *disp. 8. num. 47.* vbi alias solutiones refert, & impugnat.

Vazquez.

22
Eusebio.

Dices, licet ille honor esset in dominio morali Dei potentis illum exigere à Christo; non tamen erat in potestate physica, quia posset

Christus non elicere hunc numero actum liberum, sed alium (alioquin non elicitur liberè hic actus.) ergo hic numero honor ponitur de nouo à Christo in bonis Dei non habituri illum, nisi Christus vellet.

Sed contrà, quia, licet hunc numero honorem resultantem ex hoc numero actu non haberet Deus in sua physica potestate, nisi dependenter à Christo liberè illum exhibente; habebat tamen in sua physica potestate hunc, vel alium æquiualentem, quem posset, quoties vellet, obtinere ex operibus Christi, qui licet posset hunc actum cum hoc auxilio non elicere, non tamen posset fieri, quin aliquem, vel hunc eundem cum alio auxilio eliceret; nam tota collectio auxiliatorum non potest, moraliter loquendo, fraudari suo effectu; quare per exhibitionem huius numero actus, & honoris, non censetur moraliter Christus dare Deo aliquem honorem, quem Deus non haberet in sua potestate, sed ad summum determinare illum actum, & honorem, quem Deus sub disunctione habebat in sua potestate, quæ determinatio non auget, moraliter loquendo, potestatem Dei circa suum honorem assequendum; & per consequens satisfaceret Christus ex bonis creditoris, id est; non augendo in morali estimatione bona, quæ iam habebat Deus in sua libera potestate.

Excluditur.

Dices iterum: Ponamus Deum obligatum, si non ex iustitia, saltem ex fidelitate ad non exigendum à Christo illa opera, tunc Christus ea exhibens videtur moraliter augere bona Dei, quia dominium Dei erat ligatum circa ea opera, cum ea non posset exigere; sicut si habeas præceptum superioris non exigendi à Petro librum, quem debet dare, si petis; tunc sanè Petrus reddens librum, censereus perinde, ac si ex bonis suis donaret; quia licet esset sub dominio tuo, sed tamen ligato ex obedientia ad non exigendum.

23
Alia solutio.

Sed contrà, quia Deus etiam posito illo pacto haberet dominium simpliciter expeditum circa opera Christi. nam absque eo quòd ea exigeret, posset efficaciter Christum mouere quoties vellet ad operandum; cum ergo Deus posset sine iniuria alterius ea opera facillè obtinere, non censereus habere ea opera nec formaliter, nec æquiualentem extra sua bona ex vi illius pacti.

Remouetur.

Adhuc tamen videtur defendi posse illa conditio in satisfactione Christi, & nostra; quia per illam non debet in præsentem intelligi, quòd debitor non satisfaciat dando aliquid, quod alia via posset esse in bonis creditoris. Nam seruus, v. g. si læsit dominum in fama, imponendo illi aliquod crimen, satisfaciet vtique retractando illud, quòd dixerat, seu laudando dominum in eadem materia; licet illa etiam actio, & laudatio posset aliunde esse in bonis domini, quia poterat iure dominij exigere à seruo illam actionem, & per consequens iam videbatur habere illam aliunde in suis bonis. Ratio autem est, quia obligatio restituendi intendit ad hoc solum, vt ille, qui læsus est, nihil minus habeat postea in bonis suis, quam haberet, si læsus non fuisset; ad hoc enim obligat virtus iustitiæ, vt procurem indemnem seruare eum, quem

24

quem laesi, id est, nihil minus habentem propter meam laesionem. Hoc autem praestat ille seruus, qui post retractationem suam, vel laudes domini, nihil minus habet dominus, quam haberet, si laesus non fuisset; habet enim iam totam famam, quam habuisset, & per consequens per illam restitutionem satisficit toti iustitiae debito. Similiter ergo in nostro casu, si homo peccasset contra iustitiam in Deum, possit tamen, quantum attinet ad istam conditionem, satisfacere, etiam si id faceret per actus, quos aliunde possit Deus in suis bonis habere; quia reddendo postea alium actum aequè bonum pro illo, quem prius iniuste retinuerat, facit quòd Deus non habeat minus honoris, quam habuisset; si enim homo priorem actum possuisset, non habuisset Deus honorem, qui ex isto resultat. nam suppono, quòd Deus hunc actum non peteret, nec homo eum eliceret; ergo ponendo nunc hunc actum facit, quòd Deus habeat iam tantum honorem, quantum haberet si primus actus positus fuisset, & per consequens facit, quòd Deus ea de causa non habeat minus, quam haberet ea laesione non posita: nam licet Deus possit habere honorem resultantem ex vtroque actu; posito tamen quòd Deus nollet petere secundum actum, non haberet iam illum honorem re ipsa; ergo si ponatur ille secundus actus, iam non habet Deus minus honoris, quam habuisset, licet habeat minus quam potuisset habere.

Hac tamen ratio explicabitur, magis declarando quintam conditionem, scilicet quòd satisfactio fiat ex aliis indebitis creditori, non dico ex indebitis, quia eo ipso, quòd fit satisfactio ex iustitia, versatur circa materiam debitam, sed dico ex *indebitis aliunde*, id est, non nisi ex titulo, pro quo satisficit, nam, si illud ipsum aliunde debebatur, non potest duplex debitum vnica solutione dissolui; v. g. si debes Petro ex promissione centum, & postea ex emptione libri centum, non satisfacis vtrique debito reddendo centum. Cum ergo Christus ex aliis titulis deberet Deo sua opera, non potuit eorum obligatione satisfacere, etiam ex iustitiae rigore pro debito peccati, quia illa opera aliunde Deo debita erant.

Respondent primò, opus finitum non posse dissoluere duplex debitum; secus autem opus infiniti valoris, nam eo ipso habet valorem ad satisfaciendum pro innumeris debitis. Ita insinuat Suarez *sect. 6. circa fin.* cum aliis multis.

Sed contra, quia licet opus valoris infiniti adaequet plura debita finita, non tamen plura debita infinita, quia totus valor absorbetur vnico debito sibi aequali; Christus autem debebat Deo opera sua cum toto valore infinito; poterat enim Deus exigere à Christo opus illud valoris infiniti, & opus illud non superabat, sed solum adaequabat illud debitum; ergo non inuat infinitas, vt possit satisfacere duplici debito.

Respondent secundò, vnicum opus non satisfacere duplici debito iustitiae; bene tamen duplici debito, quorum alterum sit ex alio titulo, v. g. ex obedientia, vel religione, sic enim satisficit, qui ex precepto superioris restituit famam iniuste ablatam; tunc enim vnico opere sa-

tisfacit obedientiae, & iustitiae. Ita etiam Suarez *vbi supra*, cum aliis.

Sed contra, primò quia, si quis vouet dare calicem Ecclesiae, & postea ex venditione det calicem, non satisfacit vno calice vtrique titulo, licet alter sit ex religione, alter ex iustitia; sed debet dare duos calices. Item è contra, si aliquis promisit ducere Mariam in vxorem, & postea hoc ipsum promittat eius patri, satisficit vtrique promissioni, & debito iustitiae vnico opere; ergo quoad hoc non refert quòd vterque titulus sit, vel non sit ex iustitia, sed quòd vterque cadat super eandem omnino rem, vel supra diuersam. nam si titulus exigat ex natura sua aliquid vltra totum id, quod antea debebatur, non satisfacit nisi duplici solutione. Peccatum autem generat huiusmodi debitum, scilicet reddendi aliquid Deo pro honore ablato vltra id, quod ipsi aliunde debetur; sicut qui debet Petro centum, & postea furatur illi alia decem, contrahit debitum reddendi decem vltra centum, quae aliunde debebat. nam fur debet facere quòd Petrus habeat quantum deberet habere ante illud furtum; ergo debet reddere centum, & decem, alioquin non habet totum quod deberet habere; quia si ablata non essent illa decem, debebat Petrus habere illa decem, & alia centum; ergo si postea solum reddantur centum, non habet quot habere deberet. Sic etiam Deus ante peccatum debebat habere omnia Christi opera, quae poterat exigere ex iustitia, & insuper obsequium, & obedientiam nostram; ergo post peccatum debet habere omnia opera Christi, & insuper aliquid pro nostro obsequio sibi ablato; ergo si solum dentur Christi opera, non datur quantum deberet habere ante peccatum; ergo non ponitur aequalitas.

Contra secundò, quia in praesenti vterque titulus est de iustitia, in illa sententia; nam debitum pro peccato est ex iustitia, vt ipsi admittunt; insuper opera Christi debentur Deo ex iustitia, nempe vt domino potenti ea exigere ex iustitia; ergo non poterit vnica solutione satisfieri vtrique titulo.

Tertiò ergo respondent alij, Christum satisficisse ex indebitis, quia licet Deus possit exigere à Christo titulo dominij eius opera; promissit tamen, se illa non petiturum, quo pacto posito, iam Deus tenebatur ex iustitia ea non petere, & per consequens manebant indebita ex titulo iustitiae, & apta, vt per ea Christus satisficeret pro debito ex nostro peccato.

Hanc solutionem late reieccimus supra *disputatione 3. sectione 1.* vbi probaui, hoc pactum Dei repugnare cum eius supremo dominio circa Christum, & eius opera; quare ex hoc capite non potuerunt fieri ea opera indebita; Deus enim non potuit obligari ex iustitia ad ea non exigenda.

His ergo solutionibus praetermissis, alio ex capite defendi posset satisfactio Christi à defectu huius conditionis; quia nimirum, licet ea opera possent à Deo exigere ex alio titulo, & tunc deberentur à Christo ex alio titulo: ceterum de facto non exiguntur, & per consequens non debentur, sed deberentur. Ad satisfaciendum autem pro vno debito, non obstat, potuisse haec opera exigere, & debere ex alio titulo, si de facto non exiguntur, nec

debetur. Exemplum facile est, si aliquis mihi ex pacto debet scribere libros quoties ab ipso petiero; furetur mihi librum, & libro apud ipsum pereunte, transcribat iterum similem librum me infcio, & non exigente; quis negotiarius fatissieri mihi ex iustitia pro libro ablato, si hic alius restituatur; & tamen poteram ego ab illo fure hunc secundum librum exigere alio titulo, scilicet ex pacto scribendi libros quos ac ipso petiero; sed tamen, quia de facto non petij, nec ipse de facto debuit ex alio titulo hunc librum, & per consequens satisfecit ex indebitis de facto, licet ex debitis remotè & radicaliter, quod sufficientiam huius restitutionis non impedit.

Ad hoc etiam deseruit exemplum suprapositum in materia honoris: ponamus seruum irreuerenter se gerere cum domino, postea tamen plurima signa exhibet reuerentiæ, domino non exigente, nec iubente; quis dubitat quod possit tandem pro irreuerentia satisfacere, licet dominus possit alio titulo illa omnia signa reuerentiæ exigere, nempe titulo dominij; sed tamen, quia non petiit, non debuit de facto seruus ea ex alio titulo, & per consequens satisfecit ex indebitis de facto. Sic ergo in præsentia.

Dices, licet Deus de facto non exegerit ex dominio proprietatis ea opera à Christo; potuit tamen exigere: & per consequens, moraliter loquendo, Deus habebat ea opera in suis bonis; ergo Christus ea exhibens non censetur moraliter augere bona Dei, seu dare pro peccatis hominum aliquid, quod iam Deus non haberet, ergo non poterit per ea opera satisfacere pro debito honoris ablatis.

Respondeo iuxta id, quod diximus circa quartam conditionem, Christum dare Deo aliquid non ultra id, quod Deus potuisset habere, sed ultra id quod haberet, nam licet Deo exigenti deberentur etiam ea opera Christi; Deo tamen non exigenti non deberentur proximè. Debitum autem illud radicale, & remotum non impedit quod satisfieri possit per ea opera; quia iustitia, ut diximus, solum obligat ad satisfaciendum, ut creditor causa nostræ iniuriæ non minus habeat, quam aliàs haberet; quæ tamen inæqualitas tollitur omnino, etiam si illud opus ex alio titulo potuisset exigi à creditore, ut constat in exemplis positis.

Sexta conditio est, quod satisfactio non sit ex gratuito acceptis à creditore: de qua latè Vasquez *disp. 8. cap. 1. 2. & 3.* cuius conditionis ratio ea videtur esse, quia si Petrus suo debitori det, quod sufficit ad soluendum debitum, perinde est, moraliter loquendo, ac si debitum remittat. Ex quo videtur etiam Christi satisfactio deficere à rigore iustitiæ, quia fuit ex acceptis à Deo, & hoc quidem ex duplici capite. Primò, quia valor operum Christi fundatur in vnione ad Verbum, quæ vnio gratuito data fuit humanitati. Secundò quia ipsæ operationes Christi secundum se non sunt à Christo, nisi ex dono Dei facientis, ut Christus operetur; ergo ex utroque capite deficit à rigore iustitiæ.

Respondent aliqui, cum quibus videtur sentire Suarez *disputatione 4. sect. 6. §.* Ex his ergo; gratiam vnionis non fuisse factam supposito, sed humanitati: humanitas autem non satisfecit,

sed Christus; quare non ex gratuito sibi datis satisfecit, sed ex propriis.

Hanc solutionem latè impugnat Vasquez *impugnatur. ubi supra.* & facile reicitur, quia gratia creditoris debet comparari cum natura intellectuali satisfaciens ratione cuius conuenit supposito dominium, & obligatio iustitiæ; natura autem Christi gratuito accepit vnionem Verbi, deinde Christus satisfecit ut homo; ut homo autem gratis accepit vnionem, & virtutem ad satisfaciendum, ergo ut satisfaciens, formaliter, satisfecit ex gratuito acceptis. Videatur Vasquez *ubi supra.*

Alij ergo respondent secundò, tunc obitare gratiam creditoris ad satisfaciendum de rigore iustitiæ, quando creditor daret debitori pretium, quo solueret non solum eo animo, sed etiam eo pacto expresso, ut debitor ex illo solueret; secus verò, si det sine eo pacto, sed taliter, ut debitor possit sibi illud donum retinere. Ratio discriminis est, quia in primo casu gratia creditoris non antecedit, sed potius imbitur in ipsa debiti solutione, nam perinde se habet creditor, ac si remitteret debitum cum hoc onere solum, quod debitor accipiat illud pretium de manu creditoris, & illud statim reddat, & tunc debitor non dat aliquid absolute suum, sed illud quod solum habet ad eum finem. At verò in secundo casu gratia creditoris antecedit solutionem, & solutio est omnino distincta à gratia precedenti, & in se non continet aliquid gratiæ, cum iam illud donum factum fuerit debitoris ex donatione precedenti; sicut cætera eius bona, & perinde possit debitor illud apud se retinere, & ideo censetur verè dare aliquid de suo. Christus igitur satisfecit ex acceptis à Deo; ceterum ex acceptis antecedenter, & independentè à solutione sequenti, nam licet Deus ex animo redemptionis humanæ dederit humanitati Christi vnionem ad Verbum, non tamen cum eo pacto, sed liberam ab eo onere, & obligatione.

Hæc etiam solutio non satisfacit, quia licet vnio ad Verbum fuerit gratia antecedens solutionem Christi; ceterum ipsa opera quibus actu satisfaciebat, non videntur habere huiusmodi antecedentiam, & independentiam, sed videtur esse gratia imbita in ipsamet solutione, imdesse ipsamet solutio; Christus enim accipiens à Deo voluntatem absolutam moriendi pro peccatis, non poterat accipere & retinere illam voluntatem; & adhuc non soluere per illammet voluntatem; ergo illa non est gratia antecedens, sed inclusa in ipsa solutione debiti.

Verosimilius possit iuxta prædictam doctrinam responderi, tunc acceptionem pretij à creditore impedire rigorem iustitiæ in solutione, quando pretium, seu id quo satisfit, accipitur totum à creditore, secus si accipitur solum partialiter, v. g. dixit aliquis in Petrum verbum contumeliosum; vult illi satisfacere per scripturam, retractando quod dixerat; non tamen potest suam mentem concurrat cum eo ad litteras formandas; non ideo minus censetur satisfacere de rigore iustitiæ pro contumelia, eo quod Petrus concurrat partialiter ad formandos characteres, quibus formaliter satisfacit. Ratio est, quia iam debitor saltem partialiter concurrat, & ille

30
Effugium.

Ocluditur.

31
Conditio sexta.
Vasquez.

Solutio prima
Suarez.

32
Solutio secunda.

Non satisfactio.

Verosimilior solutio.

ille concursus partialis ipsius debitoris moraliter in prudentum æstimatione computatur pro sufficienti satisfactione, quia tantum honoris reddit debitori, quantum abstulerat præcedens contumelia; ergo licet Christus non posset Deo satisfacere, nisi concurrente simul Deo ad ipsamet opera, quibus satisfacit; adhuc tamen posset illis operibus satisfacere propter concursum partialem ipsius Christi in ea opera, qui concursus posset moraliter computari pro sufficienti satisfactione.

34 Ex quo à fortiori fit, non obstare huic rigorosæ solutioni, quod valor ad merendum fuerit acceptus à Deo per gratiam unionis, quia illa gratia fuit præcedens solutionem, ut dicebat superior sententia; sicut si debeas Regi centum, & obtineas ab ipso facultatem eudendi monetam, non idèò minùs satisfacis Regi, soluendo illi ex moneta sic facta, cuius valor ortum habuit à facultate Regis tibi concessa; quod in aliis multis exemplis manifestè constat.

Ex quo etiam constat discrimen Christi ab illo debitore, qui totum pretium accipit à suo creditore ut soluat; hic enim accipit totum pretium à creditore, nec ponit de suo, nisi quandam actionem reddendi materialiter illam pecuniam, quæ actio moraliter pro nihilo reputatur. At verò Christus accipit à Deo pretium non totaliter, sed partialiter, cooperando simul Deo in ipso pretio, & operatione, quæ Christi cooperatio moraliter æstimatur multum valere ad satisfaciendum.

35 Cæterum hæc solutio, quidquid sit de eius veritate, in præsentis tamen casu non videtur sufficiens, quia nihil possumus considerare in actione hominis, quod etiam, prout est ab ipso homine, non sit donum Dei; nam Deus dans auxilium congruum ad illum actum bonum, cum scientia ipsius congruitatis, sentetur moraliter dare ipsum opus bonum, etiam prout fit ab homine; nec enim minus est donum Dei illud opus nostrum, quam si fieret à solo Deo, vel quam si fieret à Deo media prædeterminatione physica; nam, moraliter loquendo, ille qui dat auxilium congruum cum scientia congruitatis, & potens dare auxilium non congruum, non minus dat, quam si daret totam operationem, quæ consequitur; Deus ergo in hoc casu perinde se habet, ac si daret adæquatè illum consensum bonum; atque idèò homo soluit ex his, quæ, moraliter loquendo, accipit adæquatè à Deo, tanquam ab vnico dante illius consensum.

36 Idèò faciliùs posset defendi satisfactio ex iustitia, quod atinet ad hanc conditionem, dicendo, illam non exigì ad omnem satisfactionem iustitiæ, nec eius defectum obstare semper satisfactioni perfectæ, sed tunc solum, quando ex defectu eius conditionis condonatur aliqua debiti pars, vel non soluitur totum, quod iustitia posset à debitore exigere. Exemplum habes in ipso casu argumenti, in quo idèò debitor non censetur satisfacere de rigore iustitiæ, quia creditor dans ei pecuniam ad soluendum, eo ipso condonare videtur ei debitum, siquidem ex rigore iustitiæ habebat ius ad exigendam pecuniam à se non datam, cui iuri renunciat dando

pecuniam, ut soluat, & hæc renuntiatio, seu condonatio moraliter perinde æstimatur, ac si totum debitum condonaret, tanti enim valet, & tam utilis est, ac esset condonatio absoluta totius debiti; vbi autem condonatio creditoris interuenit, iam non est solutio ex rigore iustitiæ, quia condonatio, & remissio tollunt, vel minuunt solutionem. At verò in nostro casu res aliter se habet; nam Deus dans auxilium congruum ad satisfaciendum, non condonat totaliter, vel partialiter debitum iustitiæ, quod homo debebat soluere; homo enim non debet ex iustitia soluere per actus, quos non acceperit à Deo, imò nec potest id facere, & licet in pœnam peccati possit dignè priuari à Deo omni auxilio congruo; hoc tamen non est debitum iustitiæ commutatiuæ, quod homo habeat, sed iustitiæ punitiuæ, vel vindictiuæ; nulla ergo interuenit condonatio debiti, quod homo habet ex iustitia commutatiua, licet Deus det auxilium congruum ad satisfaciendum; neque enim minus exigit Deus ab homine, quam posset exigere, cum non possit ab eo ex iustitia exigere satisfactionem sine auxilio congruo, cum hæc sit impossibilis, ut dixi, atque adèò de primo ad vltimum possent in hoc casu coniungi benè hæc duo, quod scilicet homo satisfaciatur ex gratiâ acceptis, & tamen de rigore iustitiæ, hoc est, sine vlla condonatione totali, vel partiali ex parte creditoris.

Et hæc sufficiant de conditionibus, quæ communiter exiguntur ad satisfactionem de rigore iustitiæ, quarum aliqua, ut vidimus, obtarent satisfactioni Christi, aliqua non obtarent; ex alio tamen capite eam reieciimus iam supra à perfectione iustitiæ commutatiuæ.

DISPV TATIO V.

An fuerit necessaria Incarnatio ad condignè satisfaciendum pro peccatis.

SECTIO I. *Virum possit homo condignè satisfacere pro peccatis proprijs? Referuntur varia sententia.*

SECTIO II. *Communis sententia de impotentia hominis puri ad satisfaciendum condignè pro culpa.*

SECTIO III. *Modus hoc ipsum probandi ex infinitate peccati.*

SECTIO IV. *Explicatur, & defenditur communis sententia, & eius ratio.*

SECTIO V. *Virum pro peccato commisso absque aduertentia ad offensam Dei potuisset satisfacere purus homo?*

SECTIO VI. *Respondetur argumentis, quæ fiunt contra doctrinam sectionis præcedentis.*

SECTIO VII. *Virum purus homo possit condignè satisfacere pro suo peccato veniali?*

SECTIO